

IV 2 d

2 d.)

## IUDICIA QUINQUE ORDINUM

IN REG. UNIVERSITATE FRIDERICIA WILHELMIA RHENANA

DE CERTAMINIS LITTERARII EVENTU

ANNI MDCCCXXXV DIE III. AUG. ENUNCIATA

ATQUE NOMINA EORUM, QUI PALMAM TULERUNT ET PRAEMIO AUT PRAEMII PARTE  
ORNATI SUNT.

ORDO THEOLOGORUM EVANGELICORUM primo repetierat quaestionem *de Servo Dei κατ' ἔξοχὴν dicto*. Explicanda erat haec notio secundum utrumque testamentum et qua ratione a notione Filii Dei differat vel cum ea conveniat, ostendendum. Exhibitae sunt Collegio dissertationes tres. Ex iis una ad calcem adscripta habet secundum Vulgatam verba Pauli apostoli: *providemus enim bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus*, 2 Cor. 8. — Auctor ne intellexit quidem propositam quaestionem, quam etiam mutilatum libro suo inscripsit. Illum enim Servum Dei, de quo unice quaeritur, quem vaticinia laudant, quique Christologiae causa memoratur, prorsus ignoravit. Itaque ideam cultoris dei iuxta utrumque testamentum descriptis, quasi morum doctrinam conditus, at ita, ut contra principia ecclesiae evangelicae nonnunquam peccaret. Eum igitur, quamquam a dialectica arte non alienum, a certamine ablegandum putavit Ordo. Alius concertator symbolum ex Augustino repetiit: *Ut homines nascerentur ex Deo, primo ex ipsis natus est Deus*. Is rem ipsam attigit atque ordine pertractavit. Codicem sacrum et libros assidue consuluit, si quid esset ad explicandam propositam notionem idoneum. Sed in sola disiunctione servitutis et filialis amoris nimium haesit; unde factum, ut quis sit servus dei s. cultor veri Dei generatim dictus parum explicaret. Aliquot quidem notas Christi tum Servi tum Filii inventit, graviores quasdam praetermisit, neque omnino, qua se in Christo Redemptore necessitate Servus et Filius vicissim requirant, assecutus est. Ad latine scribendum non ineptus tamen per oscitantiam prope incredibilia commisit. Tertius sibi symbolum scripsit verba Christi ex Matthaei XX. ‘Ο νιὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ ἔλθε διακονηθῆναι κ. λ. Vicit secundum non stili bonitate, non iudicii maturitate, at distinguendi subtilitate, ingeniosa